

Procedens curru medium nox pulset Olympum ;
 Inque undas tardus jam ruat Arctophylax !
 Hæc ego decepta tuor ut præsentia mente ,
 Et rerum fictis lætor imaginibus .
 Tu tamen o socii adventu mihi sancta futura ,
 Ocyus æquoreis, lux bona , surge vadis .

ELEGIA VI.

AD ACHAMANTEM PALLANTIUM

SUPREMUM ARCADIÆ CUSTODEM

DE MYRÆI ROPHEATICI OBITU, ATQUE APOTHEOSI.

PArrhasii Custos nemoris , quo præside læti
 Arcades huc cœtus rursus ad ingenuos
Cogimur , has ducti ad sedes , hæc digna Camœnisi
 Fulgidaque , & vario tecta polita opere ,
Docte Achamas , ne mi lacrimas , ne flebile posce
 Solvendum extremas carmen ad inferias .
Nec fas Arcadiam est fleri , te naëta magistrum
 Quæ nitet , atque viget pulchrior , & melior ;
Et vatem , ut stolidi plorantur funera vulgi ,
 Flere pium mœsto carmine Musa vetat .
Musa etenim , tua dum cupidus præcepta facesto ,
 Visa mihi , & numeris parcere flebilibus
 Jussit , & incœpto stulte desistere luctu .
 Id tibi ego ut gestum est candidus hic referam .
Quippe dolens rapti deflebam fata Myræi ,
 Phoebique institeram ad carmina poscere opem ;
Huc dextro huc vatum Smintheu Rex numine , seu te
 Materna Ægæis Delos in æquoribus ,

Propter